

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL
Decretum Secretarii

Prot. n. 46613/12 CA
Revocationis conventionis
(Sorores X – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

Inita die 31 maii 2007 conventione inter Congregationem Sororum X et consociationem publicam Y, ac eodem die a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae recognita seu executioni idonea declarata, plures difficultates exortae sunt quoad applicationem seu modum vivendi ac procedendi. Quae urgentiores visae sunt appropinquante die quo, iuxta art. 7 eiusdem conventionis, dominium domus principalis a Congregatione Sororum X ad consociationem publicam Y transferri statuebatur, id est die 31 maii 2012 seu quinquennio transacto a die conventionis subscriptae.

His in adiunctis, Rev.ma N., Antistita ad nutum Sanctae Sedis Congregationis Sororum X, Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 13 decembris 2011 adivit ad revocationem conventionis petendam necnon ad eiusdem conventionis suspensionem interea obtinendam.

Dicasterio adito silente, invocato can. 57 praescripto die 14 aprilis 2012 ad H.S.T. provocavit, eadem petens ac penes Dicasterium.

Actis a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae exquisitis pro examine praeliminari et continenter acquisitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod hoc Supremum Tribunal videt de recursibus propositis adversus actus administrativos singulares sive a Dicasteriis Curiae Romanae latos sive ab ipsis probatos, quoties contendatur num actus impugnatus legem aliquam in decernendo vel in procedendo violaverit (cf. art. 123, § 1 Const. Apost. *Pastor bonus*);

Pro comperto habito quod conventio qua talis haberi nequit actus administrativus de quo in art. 123, § 1 Const. Apost. *Pastor bonus*;

Perspecto quod neque interventus ex parte Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae haberi potest ut actus administrativus, quippe quae conventionem haud subscripserit sed tantum declaraverit nihil obstare quominus conventio illa in actum deduceretur; qua de re nec petitio revocationis haberi potest ut legitime proposita ad normam can. 57 atque ad effectus eiusdem canonis quod attinet;

Addito, pro consideratione quam meretur, quod Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, litteris die 29 aprilis 2011 ad Rev.mam Recurrentem datis, aperte declaravit Rev.mam N. nulla Superioris auctoritate in Instituto pollere, sed tantum titulo;

Considerato, denique, quod petita executionis suspensio iam non est in controverso sive ex recursu in limine reiecto sive ex conventionis dilatione in sex menses ex parte Em.mi Delegati a Sancta Sede decreta;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae;

Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici, utpote indubie atque evidenter praesupposito carentem.

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Adversus hoc decretum datur recursus, motivis suffultus, ad Congressum intra terminum peremptorium decem dierum ab hoc decreto recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.).

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 11 iulii 2012.

✠ FRANCISCUS DANEELS, O.Praem., *Secretarius*

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, M.G., *Praepositus Cancellariae*

* * * * *